

*Nuptiæ secundæ.* Parum honestè loquitur Imperator de secundis nuptiis, si mater secundis nuptiis jam functata est, *l. 3. §. 1. C. de secund. nupt.* idem facit Chrysostomus *homil. 2.* omnes, inquit, scitis, secundas nuptias, quamvis contrahere legibus non prohibeantur soluti, multis tamen vituperiis esse obnoxias, & D. Ambrosius asserit, primas nuptias sub Dei benedictione celebrari, secundas verò & tertias esse permissas, sed absque gloria & benedictione: causæ odii in secundas nuptias sunt sequentes, (1) quia secundæ nuptiæ intemperantiam & libidinem præ se ferunt, (2) quia mulier bis nubens prioris mariti memoriam extinguere, eumque non sincerè ac constanter amasse videtur, & (3) mulier superinducto vitrico liberos prioris matrimonii negligere præsumitur, cujus salutem & amorem liberorum saluti & amori longè præfert: indè etiam querelæ inofficiosi testamenti nasci solent, quando parentes novercalibus delinimentis & instigationibus corrupti, contra proprium suum sanguinem, hoc est, liberos prioris matrimonii impiè condunt testamentum, *l. 4. de inoffic. testam.* Quantum secundæ nuptiæ liberis prioris matrimonii sæpè nocent, norunt illi, quorum parentes ad secunda vota transierunt.

*Nuptias* non concubitus, sed consensus facit, *l. 80. ff. de R. J.* quia illæ in contrahentium consensu essentialiter consistunt. Ob id asserit Iustus Ulpianus & Canones, quod non coitus & defloratio virginitatis matrimonium efficiat, sed maritalis affectio, *l. 32. §. 13. ff. de donat. inter. vir. & uxorem, caus. 27. q. 2. c. 5.* cum initiatur, inquiunt, conjugium, tunc conjugii nomen adsciscitur, non enim defloratio virginitatis facit conjugium, sed pactio conjugalis &c.

**O** *Bedientia subditorum.* Regibus & Principibus tenentur omnes subditi venerationem, fidelitatem, & obedientiam præstare. Ast si quid forsan contra jus Divinum subditis severè injungant, id non tenentur facere, *caus. 11. q. 3. can. 101.* Ratio est, quia plus Deo ceu Regi omnium summo, quàm hominibus est obediendum, quoties hi duo contraria jubent; in tali atroci casu dicas, clementissime Domine, excuses tergiversationem meam; tu carcerem & mortem minaris, si jussui tuo severo non paream; verum Deus, si jussum tuum adimplevero, mihi minatur infernum, & mortem æternam &c. quis ergo mortalium, si micam conscientiæ habue-